

quibus IN USUM GLORIE COELESTIS ADSUMPTIS non prevalent terrena, sed subjacent. De S. Sebastiano in Psalm. cxviii. Serm. xx. num. 44. inquit: Romam profectus est. Ibi passus est, hoc est, ibi Coronatus. Itaque illic, quo boves advenit, DOMICILIUM IMMORTALITATIS PERPETUE COLLOCAVIT. De SS. Gervasio & Protasio in Epist. xxii. ait: QUORUM ANIMA IN COELO, Corpus in terra. In Expos. Evangel. Luc. Lib. x. cap. 21. num. 12. Mortuis Regibus IN perpetuum MARTYRES REGNUM COELESTIS gratiæ honore SUCCEDUNT. At fortassis inquires: Æquum fuit, tam grandi privilegio & gaudio donari Apostolorum & Martyrum Animas. Gloriosis enim certaminibus magnifica debebatur merces. Reliquis Justis, non tanta operatis, quid sperandum est? Profecto dispar præmium: præmium tamen & ipsas fuit, atque erit in Cœlis. Præsto mihi est ipsemet Ambrosius, qui Expos. in Psalm. cxviii. Serm. 8. num. 11. Latroni dictum ait: Hodie Mecum Eris in Paradiso. Futurum promittit: sed id, quod futurum est, unius diei spatio non patitur protolari. Denique potuit dicere: Mecum eris in Paradiso; sed addidit, Hodie, ne dilatione gratia minueretur. Sed non illi soli dicit Dominus Jesus: Hodie mecum eris in Paradiso: SED ET TIBI DICT; MECUM ERIS IN PARADISO, SI CONFITEARIS DOMINUM JESUM, SI EJUS PATROCINIUM TIBI POSCAS, SI ET IPSE DICAS: Memento mei, Domine, dum veneris in Regnum tuum. Sed tibi non dicit: Hodie mecum eris. Dicit Martyri, Hodie mecum eris in Paradiso. Tibi non dicit, quia adhuc in hoc febrenti Corpore constitutas. Sed quum potueris dicere: Dirupisti vincula mea, hoc est, solvisti cursum hujus vite, liberaſti me ex hoc mortis Corpore: tunc tibi dicit, Hodie mecum eris in Paradiso. Qui Latini sermonis gnarus est, atque ista legit, num aliquid supra desiderat, ut sanctum Ambrosium agnoscat firmissime credentem, & disertissime fatentem, Justis quibusvis, statim ac Corporis contubernio Anima solvatur, Coelestis Gloriæ possessionem esse sperandam? Infra idem Sanctus Serm. xx. num. 47. testatur, ceteris quoque Justis nomen ac præmia Martyrum non esse deneganda. Itaque abeat Burnetus, qui ex illustri hoc Ecclesiæ Catholice Doctore ad sua somnia persuadenda suffragium petere se posse putavit. Sed quoniam Paradisi facta est mentio, progredi nolo, nisi antea quaesiero, quid hoc nomine veteres, & præsertim Ambrosius, significarint: quod subsequenti Capite præstabo.

C A P U T XIV.

Paradisi vox quid apud veteres significarit. Communiori Patrum sententia Beatorum Regnum in Cælis designat. S. Ambrosio idem visum fuit. Varia, eaque dispersa illius testimonia pro Felici Justorum sorte in Regno Dei.

Ambigua profecto, variisque significationibus obnoxia apud veteres Patres fuit vox Paradisus. Polluce teste, barbaricum nomen